



Disputatio juridica inauguralis de legatis

<https://hdl.handle.net/1874/341916>

14.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S ,
D E

L E G A T I S ,

Q u a m ,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS ,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inlytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu , Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
Summisque in U T R O Q U E J U R E honoribus & Privi-
legiis ritè , ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subjicit.

P E T R U S C A U L I E R , M E D I O B - Z E L A N D .

A. D. 2. Junii , hora locoque soliis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

E x Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , c l c Icc LXXXVIII.

*Nobilissimis, Gravissimis, Am-
plissimisque VIRIS,*

D.D. JACOBO OTTHONI de la
PORTE, Antiqua prosapia Viro Nobili,
Domino de BAUREGARD, COLLEX,
&c. Cognato omni honore prosequen-
do colendo.

D.D. ABRAHAMO van
DORT, JCto. Nobilissimi
(qui est SLUSÆ) Franco-
nenfis Senatus membro per-
petuo.

D.D. JOANNI COSTE-
NOBEL J. U. D. Civitatis
Medioburgensis Scabino
Consultissimo.

Ex affinitate
cognatis di-
lectissimis in-
perpetuum
honorandis.

*Me & hanc Disputationem Inauguralem, ea qua
par est obedientia in sinceri amoris tesseram*

Consecro offero

PETRUS CAULIER.
Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
LEGATIS

THEISIS I.



Gressuri materiam de Legatis, vocis originem inquirere necesse erit. *Legatum* itaque dicitur à *legando*, hoc est, quasi lege quadam in testamento statuendo ac decernendo, & hoc probatur ex mente legis XII. iabb. uti quisque sua rei legasset, ita *jus esto*. *Legati* vocabulum latissima significatione comprehendit, quicquid testamento jure directo relinquitur. l. 120. ff. de V. S. Nov. 22. Cap. 2. Vinn. ad §. 1. inst. b.t. sed regulariter arctius sumitur, & particularem directam dispositionem designant: eoque sensu triplex exstat definitio. (1) l. 116. ff. de legat. 1. ibi *legatum* vocatur *delibatio hereditatis*. (2) l. 36. ff. de legat. 2. ibi definitur, quod sit *donatio testamento relicta*. rectius in §. 1. inst. de legat. definitur: *donatio quadam à defunctorum relicta, ab herede prestanda*. Opere igitur pretium erit hanc definitionem verbo tenus explicare. Dicitur quod sit *donatio* 1. è mera liberalitas, nulla necessitate cogente facta,

4 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

nemo enim tenetur huic aut illi post mortem bona sua legare aut relinquere *quædam* : non enim est vera donatio inter vivos, nec mortis causa donatio , sed quasi & impropria donatio. à *defuncto relicta* i. e. verbis directis aut imperativis relicta , & hinc distinguntur legata à fideicommissis, quæ verbis præcariis relinquuntur. Jure antiquo legata tantum poterant in testamento relinquui. d. l. 36. ff. de *legat* 2. sed hodie etiam in codicillis , vel alio modo ab intestato relinquui possunt. ab *hærede præstanta*. i. e. ut hæres legatario possessionem præstet, & jure novo legata non tantum præstantur ab hærede, sed præstanta relinquui possunt à quovis honorato in testamento. l. 2. Cod. *Communia de legat*.

I I.

Erant autem jure veteri quatuor legatorum genera : videlicet (1) per *vindicationem*. His puta verbis, *do*, *lego*, *capito*, *summo*, quo genere legari tantum poterant res , quæ testatoris fuissent tempore conditi testamenti & Mortis. (2) per *damnationem*. His verbis, *hæres meus damnas esto dare*, *dato*, *facito*, *hæredem meum dare jubeo*: quo genere , res omnes , tam propriæ , quam alienæ legari poterant. (3) *sinendi modo*. His verbis, *hæres meus damnas esto sinere*, *vel finito illum rem illam sinere*, *fibiique habere*. quo genere legabantur res propriæ testatoris & hæredis. (4) per *præceptionem* non legabatur nisi hæredibus scriptis ex parte , hoc modo , *illum rem precipito*; eaque res legabantur, quæ per vindicationem. Quæ cum sint juris Antiqui , ea attigisse sufficiat : nam imperator justinianus nullam differentiam inter legata voluit esse , & constituit ut omnibus legatis una esset natura , vis ac potestas. §. 2. *nostra autem inst. b. t.*

I I I.

Non tantum possint legari *res* , sed etiam *facta* , de quibus postea. Primo igitur videamus de rebus , & quidem quænam res

I N A U G U R A L I S.

res non possint legari. (1) ejus rei, quæ simpliciter atque absolite extra commercium est, legatum inutile prorsus ac inane est, ut ne æstimatio quidem debeatur. cujus generis sunt, res Sacre, Sancta, religiosa, usibus publicis destinatae. l. 39. §. pen. ff. do legat. 1. idem juris est, si legata sit res, quæ usibus principis deseruit, veluti horti salustiani, fundus albanus, aut predia, quæ in patrimonio cæsariorum sunt. d.l. §. ante pen: & ult. Furiosi enim est (inquit lex) talia legata adscribere. Inutile quoque legatum est, si debitor creditori suo, quod debet legaverit, & nihil plus sit in legato, quam in debito, quia nihil amplius per legatum habet. §. 14. inst. b. t. neque earum rerum regulariter legatum consistit, quæ ædibus junctæ sunt, ut colomnae, marmora, tegulae, aut alia id genns: quam obrem, nec his rebus legatis æstimatio debetur. l. 41. §. 1. ff. de legat. 1. duæ sunt exceptions, in quibus harum etiam legatum valere placet. una est, d. l. 41. §. 5. altera, l. 11. §. 14. ff. de legat 3. ratio est ne ruinis deformetur aspectus urbis. Res etiam, quæ in rerum natura nec sunt, nec esse possunt, frustra legantur.

I V.

Antequam demonstremus, quæ res legiri possint, tria circa res occurunt requisita. (1) Ut res sit in rerum natura, vel actu vel spe. §. 7. inst. de legat. Sic fructus nascituri legari possunt, si tamen nihil vel parum nascatur, non plus debetur, quam natum est. l. 5. ff. de tritico legat. inest enim istis legatis tacita conditio, scilicet si nascatur. l. 1. §. 3. ff. de condit & demonstrat. Differt tamen hoc legatum revera à legato conditionali, nam quamvis ante fructus natos moriatur, spem adhuc transmittit ad hæredes. l. 6. §. 1. ff. quando dies legat. cedat quod in Legato conditionali non obtinet. l. 25. §. ult. ff. eod. (2) Ut res, quæ Legatur, sit in commercio. (3) Ut talis sit res, ex qua commodum Legatarius sentit, cum Legatum sit donatio: nullum autem sentit commodum, si res sua ei legetur. His præmissis, videamus quænam res legari possint. Omnes res, quæ Dominio nostro subjiciuntur legari possunt, etiam si apud hostes sint, modo juri postliminii sperentur

6. DISPUTATIO JURIDICA

tur reddituræ: ita intelligenda est. l. 104. §. 2. ff. de leg. 1. (alias non Arg. l. 103. ff. de verb. oblig.) item mobiles & immobiles, corporales & incorporales. §. 21. inst. b. t. servitutes personales. tit. ff. de usu & usufr. leg. prædiales. tit. de servit. leg. nomina & obligations. §. 13. .4. 21. inst. b. t. nec solum res singulæ, sed & rerum universitates, veluti hereditas. l. 76. §. 1. ff. de leg. 2. aut pars ejus. l. 8. §. ult. ff. de leg. 2. l. 22. §. ult. ad SCtum Trebell. peculium. §. 2. inst. b. t. suppellex. l. 1. & tot. tit. de suppelli. leg. grex. §. 18. inst. b. t. Res quoque & heredis legari potest. §. 4. inst. b. t. Ratio est quia hæres & defunctus habentur pro una persona, & hæres tenetur præstare factum defuncti. Testator potest etiam legare rem alienam, nempe alterius quam heredis. §. 4. inst. b. t. l. 14. §. ult. ff. de leg. 3. Ita ut hæres cogatur eam redimere, aut si non possit redimere, estimationem ejus dare. Si vero testator ignoraverit esse rem alienam, non valet Legatum. §. 4. inst. b. t. Sunt tamen quædam exceptiones. (1) l. 6. 7. §. 8. in fini ff. de leg. 2. (2) Est, si ipse in ea re, quam ignorabat esse alienam, habeat portionem. (3) l. 10. Cod. de legib.

V.

Diximus superius facta legari posse: Juberi quippe potest hæres, aliave persona, quæ Legato gravari potest in gratiam legatarii quid facere: Veluti domum illius reficere, ære alieno illum liberare. §. 21. inst. b. t. opus facere: l. 49. §. ult. ff. de leg. 2. fundum vendere. l. 49. §. pen. & ult. ff. de leg. 1. vel non facere: ut fundum vel domum, aliamve rem non alienare. l. 114. §. 14. & 15. ff. eod. 1. l. 69. §. 3. ff. eod. 2. l. 38. §. 4. l. 93. princ. ff. eod. 3. Estque ejus efficaciam hoc Legatum, ut ad facti præstationem præcise teneatur persona gravata, nec offerendo id quod interest possit liberari. l. 11. §. inst. ff. eod. 3. Modo tamen facta non sint illicita. l. 5. Cod. de legib. l. 112. §. 3. & 4. ff. de leg. 1. Nam quæ facta laedunt pietatem, existimationem, aut verecundiam nostram, & generaliter contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, inquit Papinianus in l. 15. ff. de condit. institut. Idem dicendum si facta inutilia, aut estimationem non recipientia legentur. l. 114. §. 8 ff. de leg. 1.

V I.

VI.

Legare non possunt, qui testamenta facere nequeunt: Quales sunt filiusfamilias, servus, captivus, de statu suo dubitans, impubes, furiosus, prodigus, surdus, mutus, & similes. l. 1. & 2. ff. de leg. 3. Legare igitur regulariter possunt, qui habent testamenti factionem activam. l. 2. ff. de legat. 1. & l. 1. §. 1. ff. de leg. 3. Nam cui permisum est principale, ei accessorium non est denegandum. Non recte legatur iis, qui non sunt in rerum natura. l. 16. ff. de leg. 1. l. 4. ff. de his quae pro non scrip. nec deportatis, nec servis poenæ, nec peregrinis, aliisque qui excluduntur communione Juris Civilis. Item servo hæreditis legari non potest. §. 32. inst. b. t. nec servo proprio sine libertate, neque collegiis illicitis. l. 8. Cod. de hæred. inst. Recte legatur omnibus, qui & hæredes scribi possunt. §. 24. inst. b. t. Excipitur tantum Legatum alimentorum, quod & incapaci relinqu potest. l. 11. ff. de alim. legat. Itaque neque certis solum personis, singulis & pluribus, disjunctim & conjunctim legari potest. §. 8. inst. b. t. l. 33. & 34. pr. ff. de leg. 1. l. 8. ff. de leg. 3. l. un. §. 10. & 11. Cod. de caducc. toll. Quæritur quid Juris sit, si eadem res duobus sit legata conjunctim? Si ambo perveniant ad Legatum, scinditur inter eos Legatum. Scilicet ex verisimili voluntate testatoris: Si alter deficiat, quia auctoripreverit Legatum, aut vivo testatore deceperit, vel alio quoque modo defecerit totum ad Legatarium pertinet. Conjunctim autem legatur tripliciter. (1) re tantum: hoc modo: sejo fundum do, lego. Gajo eundem fundum do, lego. (2) Verbistantum: ut Sejo & Gajo fundum aquis partibus do lego. (3) Re & verbis simul: ut Sejo & Gajo fundum do lego. Nec refert quomodo Socii sint coniuncti: nam in omni coniunctione, etiam verbali, locum habet jus accrescendi. l. 16. 9. ff. de leg. 1. l. 89. de leg. 68. ff. de hæred. inst. Sed & incertis personis. §. 25. & 27. inst. b. t. posthumo alieno. §. 26. & 28. inst. b. t. l. 17. §. 1. ff. de leg. 1. vicis & civitatibus. l. 32. §. inst. l. 73. §. 1. l. 117. 122. ff. cod. l. 12. Cod. de hæred. inst. Collegiis, corporibus, & universitatibus licitis, sacris ac profanis. l. 20. ff. de reb. dub. l. un. Cod. de incer-

8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

in corporis. Pauperibus licet nulli sint nominati. *l. 24. Cod. de episc. & cler.* & tunc Xenones ejus civitatis Legatum nanciscuntur, & Xenodochio pauperiori confertur: Si vero nullum sit Xenodochium, inter mendicantes, ac maxime eos, qui eo loco affiguntur inopia distribuitur. *l. 49 §. 3. C. eod.* Valet quoque Legatum, si in nomine Legatarii sit erratum, modo aliunde constet persona Legatarii *§. 29. inst. b. t.* falsa neque demonstratione Legatum perimitur. *§. 30. inst. b. t.* Veluti si quis ita legaverit, *Stichum servum meum verna do, lego:* licet enim non verna, sed emptus sit: Si tamen de servo constat utile, est Legatum. Ratio rationis est. In *§. 31. inst. b. t. l. 12. ff. de R. f.* Falsa causa Legato adjecta neque nocet. *§. 31. inst. b. t.* Veluti cum quis ita dixerit; *Titio, quia me absente negotia mea curavit, Stichum do, lego:* Licet negotia testatoris nunquam gesserit *Titius*, Legatum attamen valet. Ratio est *in d. §. 31. b. t.* & *in d. l. 12. de R. f.* sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud juris est, scilicet ex ipsa voluntate testatoris, & natura conditionis: Veluti hoc modo, *Titio si negotia mea curaverit, fundum do, lego. d. §. 31. Legatum relinquere potest & hæredi modo habeat cohæredem. l. 34. §. 1. de leg. 2.* Porro prælegatum hæres, qui cohæredem habet, totum capit, partim jure hæreditario, nimirum eam partem, quæ ejus est vi institutionis, partim Legati Jure, sc. eam partem, quæ alias pertinisset ad cohæredes. *l. 104. §. 3. 4. de leg. l. 91. ff. ad l. falcid.*

V I I.

Gravari Legato olim solus hæres poterat, in testamento, aut codicillis sestamento confirmatis ut Thesi 1. notavimus. Post supradictam ex equationem, etiam hæres legitimus, legatarius & fidei commissarius, *pr. inst. de sing. reb. per fideic. l. 1. pr. de legat. 3.* eorumque hæredes. *l. 5. §. 1. de leg. 3. sc. tantum, quantum his relictum. l. 70. pr. §. 1. de leg. 2. l. 78. de leg. 1.* denique omnes gravari possunt, ad quos aliquid morte legantis perventurum est. *l. 1. §. 6. ff. de leg. 3. l. 9. Cod. de fideicom.* etiam hæredes eorum. *l. 5. §. 1. de leg. 3.*

V I I I.

VIII.

Ante legatorum cum fideicommissis exæquationem , legata tantum poterant relinquere in testamento. §. 10. *inst. de fideicom. hered.* post vero exæquationem fideicommissorum cum legatis, legata possunt relinquere quibuscunque verbis, legitimum testatoris sensum designantibus : omniverborum ac formularum solennitate sublata. §. 2. *inst. b. t.* Legata non tantum relinquuntur in testamento , sed etiam ab intestato in codicillis. *l. 1. Cod. de codicil. l. 75. pr. de leg. 2.* adhibitis tamen quinque testibus. *l. 22. Cod. de fideicom.* non solum ante , & post hæredis institutionem , verum etiam inter medias hæredum institutiones legata inscribuntur. §. 34. *inst. b. t.* denique permittit juris ratio legata constringere adjectione modi. *l. 1. Cod. de bis. q. sub mod. diei certæ vel incertæ. l. 1. l. 75. ff. de condit. & demonst. Conditionis. rit. Cod. de condit. insert. leg. & fideic.* modo turpis aut impossibilis non fuerit : eæ namque pro non scriptis habentur, legato tanquam purè relieto valente. §. 10. *inst. de hæred. instit.*

IX.

Legato valide relieto , & morte testatoris confirmato , statim dominium rei legatæ ad legatarium transit fictione sc. juris. Veritate vero à tempore agnitionis. *l. 80. de leg. 2.* cum effectu tandem ab adita hæreditate. *l. 86. §. 2. l. 69. pr. de leg. 1.* hoc fallit in Legato optionis, in quo etiam dominium ante optionem non transit in legatarium. *l. 20. ff. de opt. & eleçt. leg. (2)* Omne commodum & incommodum rei Legatæ ad legatarium pertinet. *l. 18. & dnob. seqq. inst. b. t.* unde si areæ Legatæ post testamentum factum ædificium imponatur, utrumque debetur. *l. 39 ff. de leg. 2. l. 44. §. 4. de leg. 1.* nisi testator mutaverit suam voluntatem. *d. l. 44. §. 4. (3)* periculum rei Legatæ ad legatarium pertinet, unde si res Legata sine facto hæredis peri erit , legatario decedere dicitur. §. 16. *inst. b. t.* modo tamen certa res seu species aut quantitas instar

10 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

certæ speciei legata fuerit. *l. 26. §. 1. ff. de leg. 1.* Secus tamen hoc est si genus legetur. (4) Hæres rem Legatam non potest alienare, nec in alium transferre. *l. 3. §. 2. Cod. Communia de leg.* satis enim absurdum esset & irrationalis rem quam suis bonis quis pure non possidet, eam ad alios velle transferre. *l. 81. pr. de leg. 1.* adeo ut si alienatio facta sit, nullius momenti censeatur, neque usucatio, nec longi temporis præscriptio contra legatarium aut fideicommissarium currit. *d.l. 3. §. 3.* (5) Si legatario non satis fiat, tria juris remedia, pro Legato, quolibet modo relicto, consequendo ei comparata sunt: *Actio personalis, rei vindicatio, & hypothecaria.* *§. 2. inst. h. 1.* illa datur adversus hæredem; quippe cum hæres adit vel agnoscit hæreditatem, intelligitur eam agnoscere cum sua conditione atque onere; sc. ut præstet, quod testator injunxit, atque ita se obligat ex quasi contractu. *§. 5. inst. de obl. ex quasi contr.* Ista contra quemlibet rei Legatae possessorem vi quæsiti, ipso jure dominii. *l. 64. ff. defurt.* Sed hoc ita intelligendum, si certa species, aut corpus fit Legatum; nam neque in quantitate, aut nomine Legato vindicatio locum habere potest: deinde ut etiam res, quæ Legata est, propria testatoris fuerit: Nam quod testatoris non est, id ab eo non potest recta transire ad legatarium. *l. nemo plus juris de R. f.* Hæc competit legatario, jure legalis hypothecæ, in bonis, quæ à defuncto ad personam Legato gravatam pervenerunt, adversus quemvis eorum possessorem. *l. 1. Cod. Communia de legat.* *l. 14. Cod. de pign. Nov. 4. Cap. 2.* competit aut hæc remedia, non nisi adita ex testamento hæreditate. *l. 9. ff. de testam. tut.* *l. 181. ff. de R. f.* non tamen legarius omnibus hisce actionibus simul experiri potest, sed unam & commodiorem eligere debet. *l. 76. §. pen. ff. de leg. 2.*

X.

Extinguitur legatum revocatione testatoris, eodem aut alio solenni testamento, vel codicillis facta. *pr. inst. de adempt. leg. l. 4. l. 17. ff. eod.* inductione vel deletione scripturæ, qua legatum continetur, consulto à testatore facta. *l. 16. ff. eod. l. 1. ff. de his, q. in testam. del.* re legata adimendi animo alienata. *§. 12. inst. b. t. l.*

I N A U G U R A L I S. II

t. l. 11. §. 12. ff. eod. t. aut nomine legato postea exacto. §. 21.
 inst. b. t. l. 11. §. 13. ff. eod. 3. dominio rei legatæ , ex causa lu-
 crativa, à legatario acquisito. §. 6. inst. b. t. l. 108. §. 4. ff. eod.
 rei legatæ interitu & quidem totali, absque culpa & mora hæ-
 redis. §. 16. inst. b. t. l. 30. ff. ad l. falcid. si legatarius vivo testa-
 tore, vel ante conditionem existentem decesserit. l. un. §. 4. &
 7. Cod. de caduc. toll. aufertur ut ab indigno , legatario, si ce-
 laverit testamentum. l. 25. Cod. de leg. si tutelam non subierit,
 cuius contemplatione legatum ipsi , aut filii suis adscriptum est.
 ead. l. 25. l. 8. Cod. eod. l. 28. pr. ff. de testam. tui. si testamentum
 falsum , aut in officiolum accusaverit, nec obtinuerit. l. 22. ff.
 eod. l. 8. §. 14. de inoffic. testam. pro non scriptis habentur legata,
 quæ ei , qui in rebus humanis non est adscribuntur. l. pen. ff.
 de his , q. pronon scrip. l. 2. pr. & §. 1. l. 14. ff. de jure codicill.
 quæ in capacibus relinquuntur. l. 3. pr. ff. de his . q. pronon
 &c. quæ turpia sunt, & denotandi magis legatarii gratia scrip-
 ta l. 54. pr. ff. de leg. 1. minuuntur per legem falcidiā, hæ-
 reditate, vel portione gravati hæredis legatis exhausta, vel' ul-
 tra dodrantem onerata , eatenus , ut apud hæredem , sub be-
 neficio inventarii hæreditatem adeuntem , deductis prius ære
 alieno , funeris impensis , & pretiis servorum manumissorum ,
 quarta pars jure hæreditario salva permaneat: nisi detractionem
 expresse prohibuerit testator. pr. & ult. inst. de l. falcid. l. 1.
 pr. leg. ff. cod. Autb. sed cum testator Cod. eod.

F I N I S.

C O-

COROLLARIA.

I.

Vsucapio ex aequitate naturali est toleranda.

II.

Donatio omnium bonorum praesentium & futurorum valet.

III.

Rei minimae etiam furtum committitur.

IV.

Filius familias non potest testari de Adventitio pleno.

V.

*Bonæ fidei possessor ante litem contestatam percep-
tos & consumptos fructus qualemque irrevoca-
biliter suos facit.*

VI.

Maritus est dominus dotis.

VII.

*Tutoris datio est neque imperii, neque Jurisdictio-
nis, sed ex speciali legis delatione descendit. l. 6.
§. 2. ff. de tutelis.*

VIII.

Polygamia jure divino & humano est prohibita.

